

1750.

7<sup>o</sup> Fructus, Lectorum Christianus: De damnis ex scabie  
repulsa et remedio illud avertente

8<sup>o</sup> Kronig, Iacobus Carolus: De varia differentia directa-  
rum conditionum circulatorium, et circulatorum S. R. T.  
Programma, 2. Saec.

9. Langius, Iacobus Fridericus: De justipudentia  
naturali in stato integratissimo et corrupto, praec-  
ipuis de origine iuris perfecti et imperfecti ex  
stato corrupto.

10. Meierus, Georgius Fridericus: De voluntatis historico-  
philicae cum Christiana convenientia et disconvenien-  
tia

11. Meier, Georgius Fridericus: De summo morali.

12<sup>o</sup>, 6<sup>o</sup> Nekelblatt, Paul: De successione in expectativa  
fundatur.

13<sup>o</sup>, 1<sup>o</sup> Nekelblatt, Paul: De legitimo dotois constitutuenda.

1750.

17.<sup>a</sup> Nettelblatt, Daniel : De variis carus i<sup>n</sup> foro atrios  
decedendi modis i<sup>n</sup> genere. 2 Sept 1750 et 1760.

15. Nicolai, General Raut : De salutinione mentis vulgo  
hancitate.

16. Pauli, Karl Friedrich ! Wie eine Einleitung des  
Staatskunst eines jecor Reichs zu verfertigen

17. Pauli, Carl Friedrich ! Gedanken von dem Begriff <sup>o</sup> der  
Prinzipien des Staats-Kunstwiss.

18.<sup>a</sup> Rentetus, Isaac Hartwich ! De substitutione reapprova  
eiusque a fine alterius anni discrimine. 2 Sept.

19.<sup>b</sup> Rentetus, Isaac Hartwich : De fine bestandi universitatis  
post initium uniuersorum prolinum competente . . .  
3 Sept.

20. Helvius, Christianus : De juri prudencia naturali i<sup>n</sup>  
statu integratissim & corruptissim praecepsius de origine

as juris perfecto & imperfectione statu corrupto. p. 11







DICENS ETATIUS ET SALTIS MEDICA

DAMASCO AARIE

AVERTITI

QVAM AVSPICE DEO PROPHET  
CONSENSU ATQVS AVCTORITATE CERTISS  
ORDINIS MEDICI

PRO GRADV DOCTORIS  
DUCENTE IN ARTE MEDICA HONORIBVS  
C PRIVILEGIIS LEGITIME  
IMPERANDIS

JOHANNIS GROSSI MDCCLXII AGRI FVND



*6* 2339  
Pub. 10 num. 3.  
*1750 8a*

PROGRAMMA  
DE  
IN SIGNI DIFFERENTIA  
DIRECTORVM  
COMITIORVM CIRCVLARIUM

*2. 118*  
ET  
CIRCVLORVM

S. R. I.

Q V O



LECTIONES TVM PVBLICAS TVM PRIVATAS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HABENDAS

INDICAT

IOANNES CAROLVS KOENIG


POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE CONSILIARIVS AVLICVS  
ET IN ACADEMIA FRIDERICIANA IVRIS PVBLICI  
PROFESSOR ORDINARIUS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE

IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA

M D C C L.





## PROGRAMA.



uum Maximilianus I. in Comitiis Trevirensibus anno MDXII. Germaniam in decem distribueret pagos confederatos, quos *Circel* vocavit, de præfectis rei militaris eorumque adjunctis sanxit, ut sententias Dicasterii supremi, quod Camerale appellatur, executioni darent, directorum vero, qui ordines consociatos conscriberent, nullam injecit mentionem; quin potius Imperatoris auctoritate, si opus erat, convocati sunt. Sed Carolus V. in Comitiis Norimbergæ anno MDXXII. habitis, suffragantibus Imperii Proceribus, voluit, ut duo Principes vel Magistratus cuiusque

A 2

cir-

### III

circuli reliquos invitarent (a); adeoque nullum est dubium, quin directorum natales non tam Maximiliano I. quam Carolo V. sint adscribendi. Quamvis autem, Carolo V. fasces imperii teneente, nec directorum, nec *der Crays-aus-schreibenden Fürsten* expressa fiat mentio in recessibus imperii; sequiore tamen ætate utriusque denominatio in legibus publicis sepius occurrit, at discriben, quod indicavimus, determinatum haud legimus, denominatione vernacula *die aus schreibende Fürsten* neque illud exhaustiente, neque rem expediente. Quæ quum ita sint, evenit, ut nonnulli dubitarent, inter directores circulorum, licet uno plures sint, differentiam intercedere, aut si forsitan aliqua deprehendatur, in quo consistat, vix ac ne vix quidem indicari posse.

At enim vero Circulorum, ut ajunt, ceconomia interna longe aliud docet, quod ut eo clarior pateat, distinguendum esse censemus inter directores circulorum et comitiorum circularium; illis potestate ordines conscribendi, huic-

(a) vid. LITERA declarationi pacis profanæ de anno MDXXII.  
ADDITA in der neuen Sammlung der Reichs-Abschiede,  
Part. 2. pag. 242.

## V

huicque jura annexa exercendi, his jure comitia  
moderandi, gaudentibus. Neque hanc distin-  
ctionem a rerum documentis alienam putamus,  
dum inficias nemo ibit, quoties *die Crays-aus-*  
*schreibende Fürsten* a d rectoribus discernuntur,  
illos status more solito conuocare, et reliqua  
iura annexa tueri, hos autem actus comitiales  
instruere, ordinare, absoluere. Quoniam ve-  
ro non eadem est circulorum obseruantia atque  
dispositio circa directorum munus, annotasse  
juvat, discriminem, de quo agimus, in pago con-  
federato Rhenano electorali, Saxonico supe-  
riore, item Austriaco et Burgundico non at-  
tendi, nec, ut attendatur, opus esse; siquidem  
Electores Moguntinus et Saxonius æque ac Ar-  
chidux Austriae et Dux Burgundiæ circulis, quos  
recensuimus, soli præsunt, adeoque jure tam Sta-  
tus cujusque pagi covocandi, quam in conven-  
tu omnia dirigendi, pollut. Alia autem in  
aliis Germaniae circulis rerum harum facies est.  
Scilicet REX Borussiæ intuitu Ducatus Mag-  
deburgici, et REX Angliae ratione Ducatus  
Bremensis, salvo Ducum Brunsvicensium con-  
directorii jure, tum Circulum Saxonicum infe-  
riorem, tum ejusdem comitia ita moderantur

A 3 atque

## VI

atque dirigunt, ut de conventu ad conventum alternas vtriusque muneric vices gerant (b). Econtra REX Borussiae propter Ducatum Clivensem atque Bergensem, Elector Palatinus ob Ducatum Juliensem una cum Episcopo Monasteriensi conjunctis consiliis peragunt omnia; hoc primum locum inter pares tam in conscribendo, quam in dirigendo tenente (c), illis autem inter se per dies et vices in omnibus, quæ ad Spartam directoris tum circuli, tum comitiorum circularium pertinent, alternando (d). In circulo Rhenano superiore discrimen, de quo nobis sermo est, diu multumque agitatum fuit inter Präfulem Wormatiensem Comitemque Palatinum gentis Simmerensis, donec anno MDCLXXX. Weinheimæ et anno MDCCV. Düsseldorf per amicabilem compositionem lis ita componeretur, ut jus convocandi utriusque com-

(b) vid. TABVLAE pacis Osnabrugens. artic. X. §. 10. HENNGES ad eundem, ZWANZIG in theatr. præcedent. part. II. pag. 130. MOSER im teutſchen Staats-Recht, Part. XXVII. cap. 146. §. 51. p. 264.

(c) ZWANZIG, l. c.

(d) LÜNIG im Reichs-Archiv Part. III. sect. IV. im dritten Absatz pag. 203. MOSER l. c. §. 75. p. 324.

## VII

commune, jus in conventibus dirigendi illi præcipuum esset (e), Proceribus Evangelicis postulantibus, ut, ducatu Simmerensi ad Neoburgicum ritibus Romano-Catholicis addictum devoluto, in directorio religionis ratio habeatur, eamque ob causam utriusque adjungatur codirector sacris purioribus imbutus. Circulum Bavanicum quod attinet, post varias disceptationes Elector Bavarus et Archiepiscopus Salisburgensis anno MDLV. Auguftæ Vindelicorum convenerant, ut quilibet directorio alternis Comitiis circularibus fungatur (f), jure convocandi et id generis reliqua utriusque coniunctim semper et ubique manente.

In Circulo Franconico Marchiones Brandenburgici Culmbacensis et Onoltinus in directorio per triennium inter se alternantes (g) cum Praefule Bambergensi, potestatem ordines conscribendi, huicque jura annexa æquali lance tuerentur.

(e) LONDORP act. public. Tom. IX. Lib. X. Cap. 119. p. 469.  
LÜNIG in Spicileg. ecclesiast. Part. II. pag. 930. MOSER  
l. c. §. 36. p. 241. et §. 47. p. 258.

(f) MOSER l. c. §. 16. p. 198. et 199.

(g) KOELER in præfatione zur Nachricht vom Crays-Aus-  
schreib-Amt,

## VIII

tuentur, facultate in conventibus dirigendi per conventionem anno MDLVIII. initam Episcopo, non autem sede vacante Capitulo Bambergensi (h), integra relicta (i). Majores motus discrimen, de quo in præsentiarum agere animo constituimus, excitavit Ducem Wurtembergensem inter et Antistitem Constantiensem, de qua controversia nondum composita tum olim (k), tum hodie varia prodiere documenta (l), quibus themati nostro major lux affulxit. Quis autem vel ex his adductis insignem non videt differentiam inter directores circularum et comitiorum circularium, quæ tamen, singulis utriusque muneris partibus perlustratis, magis patet.

Illis enim, qui circulis præsunt, cura incumbit, facultasque competit, ordines cujusque pagi federati, quoties e re et utilitate ejusdem

(h) SELECTA Iuris Publici NOVISSIMA Cap. I. Part. XIV.  
seq.

(i) LÜNING im Reichs-Archiv Part. spec. unter dem Chur- und Fürstlichen Haus Brandenburg, p. 312. MOSER l.c.  
§. 21. p. 212.

(k) LÜNING in scriptis illustribus pag. 244. pag. 345. MOSER  
im Constanziischen Staats-Recht pag. 29. seq.

(l) STAATS - CANZLEY Cap. I. Tom. XCVI. seq.

VIII

dem esse arbitrantur, conscribendi, literas invitatorias concipiendi, easdemque subscribendi æque ac sigillandi, de argumentis proponendis conveniendi, eademque reliquis Statibus notum faciendi, literas ad totum pagum directas resignandi, ad easque respondendi, de rebus aliis circulis communibus cum iisdem communicandi, jura cujusque tuendi, de viribus et facultatibus ordinum, qui onerum publicorum levamen petunt, nec non de rebus vectigalibus testimonium ferendi, suum cuique tribuendi, penas de iis, qui contra leges monetarias peccant, sumendi, sanctiones imperii fundamentales, pacem potissimum profanam atque religiosam una cum ordine executionis, ut vocant, tuendi, Status morigeros ad soluenda ea, quæ spectant ad sustentationem tribunalis supremi, quod Camerale dicitur, adigendi, ejusdemque et Consilii Imperialis Aulici sententias, æque ac Circulorum decreta executioni dandi, idque generis reliqua jura, quæ cum modo recensitis vel connexa sunt, vel ex iisdem promanant, exercendi.

Quis autem negabit, hæc omnia ita esse comparata, ut ad circulorum cœconomiam genera-

B nera.

## X

neralem pertineant, adeoque ab eorundem directoribus non possint non coniunctim peragi. Econtra qui comitia circularia vel vicibus alternis, vel perpetuo solus moderatur, potestate gaudet, qua omnes fruuntur, qui collegio præsunt; scilicet mandata legatorum recipiendi, eosdem, si de collegio sunt, ad deliberationes hora et loco determinato invitandi, momenta deliberanda proponendi et in iisdem ordinem concinnum, arbitriatum tamen obseruandi, Proceres ad votandum evocandi, suffragiumque suum reliquis addendi, secundum majora conclusum concipiendi, idque ad monendum in pleno prælegendi, recessum conficiendi, et per dictaturam omnibus notum faciendi, convenitus, si rationes prægnantes id suadeant, dissolendi, ærarium (*die Crays-Casse*) et acta publica (*das Crays-Archiv*) custodiendi, exemplis eorum fidem publicam addendi (*Abschriften vidimiren*), aliquem, qui in negotiis conscribendis atque expediendis a secretis est (*einen Crays-Secretarium*) denominandi, et reliqua hujus generis jura tuendi. Nullus itaque dubito, quin ex his satis abundanterque pateat, quæ sint partes directoris comitiorum circularium, et quin tan-

tantum absit, ut istiusmodi directoris jura labe-  
factari, vel ulla ratione turbari queant, ut po-  
tius eorundem exercitium ipsi integrum relin-  
quendum sit, donec argumentis indubitatis pro-  
betur contrarium. Quis autem est, qui ex mo-  
do adductis non intelligat, munus directorum  
circulorum esse generale, directoris comitio-  
rum circularium speciale, et propterea salvam  
esse consequentiam, directorem conventuum  
circularium simul esse directorem circuli, non  
autem versa vice; quibus non addere non pos-  
sumus, jura illius directorii legibus imperii scri-  
ptis, hujus vel conventione, vel observantia  
tantum non niti. Sed quum extra oleas vagari  
haud liceat, instituti, cujus gratia hæc scribo,  
memor sum. Scilicet a POTENTISSIMO  
BORVSSIAE REGE, reliqua, reliqua,  
REGE ac DOMINO meo longe Clementissimo,  
quum in Academia Fridericana munus  
Professoris Juris Publici Ordinarii mihi gratio-  
fissime demandatum sit, illud ornandi, nullam  
occasionem unquam prætermittam; huncque  
in finem per semestre hoc æstivum, quam pri-  
mum tempus bibliothecæ et rei domesticæ ordi-  
nandæ impendendum indulget, lectiones *pu-*

B 2 *blicas*

XII

blicas de pace nuper Aquisgrani inita, aperiam;  
privatum Jurisprudentiam publicam S. R. I. du-  
ce illustri I. I. Mosero, vel, si ita placuerit Ho-  
noratissimis D. D. Commilitonibus secundum  
compendium I. I. Schmausii, Professoris Göt-  
tingensis celeberrimi, exponam, nec collegio  
vel privato vel privatissimo juvare intermittam  
eos, qui in rebus pragmaticis ad jus publicum  
pertinentibus sese exercere satagunt, operam  
denique et præsidium disputantibus omni  
tempore omnique humanitate  
polliceor.

---

P. P. III. Non. April. cIcCCL.



ULB Halle  
002 729 415

3



Sb.



**Farbkarte #13**

B.I.G.



PROGRAMMA  
DE  
GNI DIFFERENTIA  
RECTORVM  
TIORVM CIRCVLARIVM  
ET  
IRCVLORVM  
S. R. I.  
Q V O  
S T VM PVBLICAS T VM PRIVATAS  
DEMIA FRIDERICIANA HABENDAS  
INDICAT  
NES CAROLVS KOENIG  
REGIS BORVSSIAE CONSILIARIVS AVLICVS  
ACADEMIA FRIDERICIANA IVRIS PVBLICI  
PROFESSOR ORDINARIVS.  
HALAE MAGDEBURGICAE  
CINA LIBRARIA RENGERIANA  
M D C C L.

